Ad Prooemium.

I. Nihil utilius, & jucundius juris cultori esse potest, quam historiam ejus juris nosse, quod indies evolvitur, quo & ad causas dijudicandas, & dirimendas in foris nostris utimur.

II. Imò cum in corpore juris romani multa sint capita, quorum ratio non nisi ex historia reddi potest, ab antiquitatum romanarum cognitione ad jurisprudentiam civilem ingens præsidium peti debere, non dubitamus.

III. Non autem per antiquitates romanas intelligimus romanorum epulas, solennia ludorum & similia, sed tales, quæ Imperii romani varia fata, ac vicissitudines, magistratuum, judiciorum, & processus romani notitiam continent, requirimus.

IV. Pro diversitate statûs imperium romanum diversis quoque legibus utebatur; unde legum romanorum nimia prolixitas erat, & inutilis dissonantia.

V. Justinianus itaque non unâ tantùm ratione motus ex multitudine constitutionum, immensisque JCtorum libris corpus juris, opus à multis ante, sed frustrà tentatum confici curavit.

VI. Hoc corpus juris romani tum ob singularem æquitatem, dignitatem ac præstantiam, tum ob legum patriarum defectum in foris nostris receptum, in subsidium nos obligat.

VII. Unde non nisi deficientibus legibus, consuetudinibus patriis, & constitutionibus imperii recursus ad jus romanum conceditur.

VIII. Nihilominus tamen legem romanam pro se allegans fundatam intentionem habet.

IX. Nullam antimoniam, sive legum contradictionem in uno eodemque codice locum sibi vindicare, sed unam concordiam Justinianus habere voluit.

X. Si verò aliquæ leges sibi contrariari videantur, pro illis conciliandis rarò leges emendandæ vel corrigendæ sunt, ne quis, dum librariorum, vel Triboniani insectari velit inscitiam, propriam confiteatur.

XI. Sed potiùs ad evitandas contradictiones, leges tum ex genuina utriusque legis, quæ sibi invicem opponuntur, lectione, tum etiam ex aliis conciliationum regulis sunt combinandæ.

XII. In aliis successivè editis codicibus, & legibus, si apparens contradictio nullâ conciliatione tolli possit, leges posteriores potiores sunt his, quæ ipsas præcesserunt.

XIII. Institutiones, licet compilatione posteriores, tamen quandoque pandectis, & hæ quandoque Institutionibus cedunt.

Ad